



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

De charitate Abbatis Sisiniij erga mulierem Sarracenam. Capvt. CXXXVI.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

dicens: In regione mea, (erat autem ex Lycia) monasterium virginum est ferme quadraginta. In hoc ergo monasterio quinque virginis sibi inuicem condixerunt, vt noctu de monasterio fugerent, & acciperent viros. Nocte vero quada cum dormissent sanctimoniales omnes, illis consultantibus, vt vestimenta sua acciperent, & fugerent, continuo quinque<sup>1</sup> omnes à demonio correptæ sunt. Quo facto, non amplius exierunt monasterio, sed confessæ peccata sua, gratias egerunt Deo dicentes: Gratias agimus magnorum indultori munerum Deo, qui flagellum hoc nobis induxit, vt animæ nostræ non perirent.

<sup>1</sup> *Magnum exemplum, quo docentur omnes religiose femine non debere institutum suum deserere; quòd si id fecerint, animæ earum peribunt.*

*De charitate Abbatis Sisini erga mulierem Sarracenam.*

C A P V T. CXXXVI.

**N**Arrauit autem nobis Abbas Ioannes eiusdem monasterij Presbyter, dicens: Audiu ab Abbate Sisinio Anachoreta referente, ac dicente: Die quadam in spelunca mea prope sanctum Iordannem & cum psellerem<sup>1</sup> Tertiam, ecce Sarracena quædam ingressa in speluncam meam, posuit se coram me nudans semetipsam. Ego vero turbatus non sum, sed impleta psalmodia mea cum omni quiete, & timore Dei, dixi ad illam Syriace: Sede, vt loquar tibi, & tunc faciam, quod vis. Quæ vt resedit, dixi illi: Christiana es, angelicis? Quæ ait: Christiana: Dixi ad illam iterum: Et nescis, quia qui fornicantur, in supplicium eunt? Quæ ait: Scio planè. Tunc dixi illi: Cur ergo fornicati



nicari vis? Respondit: Quia esurio. Et aio ad eam: Noli fornicari, sed veni quotidie, & vt Deus disposuerit, dabo tibi cibum tuum. Ex illa ergo die veniebat ad me diebus singulis, & si quid Deus mittebat mihi, præbebam illi cibum, quadusque recessi de illis locis.

*¶ Ecce quomodo etiam antiqui monachi psallebant horas canonicas, nam Tertia vna illarum est.*

*Relatio Abbatis Ioannis de Abbate.*

*Callinico.*

CAPVT CXXXVII.

**D**ixit iterum idem Abbas Ioannes: Cùm essem iunior, cupiebam pergere ad magnos, & nominatissimos patres, vt ab eis benedicerer, & ædificarer. Audiens igitur de Abbate Callinico magno illo, qui in monasterio Abbatis Sabæ inclusus erat, orauit quendam ex familiaribus illius, vt me ad illum duceret. Abijit itaque ad illum. Assidens verò is, qui me adduxerat, frater ad fenestram senis, per multam horam loquebatur cum eo. Ego verò in me ipso cogitabam, quia nunquam viderat me senior, ne fortè non gratè susciperet me. Cum verò frater ille recederet, permisit me ingredi, & salutare senem, & benedici ab eo, dicens ad eum: Ora & pro isto seruo tuo, pater, quia inter primos huc venit. Senex autem dixit, Agnosco illum, fili. Nam ante viginti dies descendi ad sanctum Iordanem, & occurrit mihi in via dicens: Ora pro me. Et ego interrogaui eum: Quod est nomen tuum? Atque mihi: Ioannes: Extunc igitur agnosco eum. Hoc audiens ego cognoui, quia quando cogitavi accedere ad illum, reuelauit illi Deus & nomen meum, & quis essem.